

Cerinthiani à Cerintho 1, iidémque Merinthiani à Merintho, Mundum 2 ab Angelis factum esse dicentes, & carne circumcidi oportere, atque alia huiusmodi Legis praecepta seruari. Iesum hominem tantummodo fuisse, nec surrexisse, sed resurrecturum affirmantes. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris & libidinis voluptates futuros fabulatur: unde etiã Chiliastræ 3 sunt appellati.

I. *A Cerintho.*) Cur Cerinthiani Carpocratianis subiiciantur, quæstio est, quum ætate priores fuisse videantur. Nam qui postremos ortos fuisse putant, falluntur: quanquam tamen Tertullianus & Epiphanius in ea sunt sententia vt à Carpocratianis profectos & deductos Cerinthianos velint. Epiphanium autem sequutus est Augustinus, & Augustinum Isidorus libr. 8. Etymolog. capite 5. Ratio fortasse hæc fuit, quòd in dogmate simillimi, & penè iidẽ apparent vtrique Cerinthiani & Carpocratiani, vt ait Tertullian. Quæ certè ratio nihil efficit. Vixerunt enim eodem tempore Cerinthus & Ebion, & tamen inter se dissenserunt, nec eadem dogmata semper sunt amplexi, qui iisdem temporibus vixerunt, vt in Cerintho & Ebione apparet, quemadmodum scribit Eusebius lib. 3. cap. 28. Quod autem ad Epiphanium attinet, à seipso refutatur. Idem enim ille, qui Cerinthum post Carpocratem collocat, scribit disertè Cerinthum iam ætate Petri & Pauli vixisse, & iis sæpe restitisse, esseque vnũ ex iis quos pseudoapostolos vocat Paulus, & qui Antiochiæ propter circumcisionẽ Gentium turbas mouerunt, vt est Act. 15. Carpocrates autem multis